

3.
19
DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA 1786. 9.
DE
PERTURBATIONE
CRITICA ET CRISI,

QUAM
CONSENSU ORDINIS MEDICORUM
MOGUNTINORUM

PRAESIDE
VIRO PRAENOBILI, CLARISSIMO,
EXPERTISSIMOQUE
D. SAM. TH. SOEMMERRING

PRO OBTINENDIS
SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS

IN


ACADEMIA MOGUNTINA

Die Septembris 1786
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBJECIT

AUCTOR
CHRISTOPHORUS KÜLSHEIMER
MOGONUS

MOGUNTIAE,

Typegr. Elect. Aul. Acad. privile. apud Joann. Jof. Alef,
Hered. Haeffner.



P R A E F A T I O.

Ego, Doctoris ut gradum consequar,
pro more academico, publicum ali-
quod scientiae meae daturus specimen,
de Perturbatione critica, et crisi diffe-
rere mecum constitui. Thema selegi,
de quo et nostris, eheu! temporibus
ardua inter medicos controversia restat.
Sunt enim, quis credidisset? sunt, qui
renuente vultu, quid perturbatio cri-
tica sit, ignari quaerunt; sunt, qui cri-
ses veteribus observatas nostro quoque
sub caelo dari pernegant. Nulla ergo

A 2

fides

fides P. Alpino, Hollerio, Dureto, et
Baglivio; nullafides Huxhamo, Frein-
dio, Boerhaavio, Fr. Hoffmanno, et
Trillero, solidissima nil valent argu-
menta, quibus ill. van Swieten, de Gor-
ter, de Haen, Gruner, Verschuir, ali-
que viri clarissimi contrarium propug-
nant. Sed profecto, cui credendum
parti sit, haesitare nemo potest. De
crisi, ait Gaubius, per fidelissimas tun-
veterum, tun recentiorum observatio-
nes tam certo constat, ut nullus videa-
tur dubio locus relinqui a). Si vero
rariora hodie inter nos crisium exem-
pla prostant; genuina, quam ill. van

Swie-

a) §. 449.

, et
ein-
, et
gu-
or-
alii-
oug-
um
De
tum
tio-
dea-
vero
em-
van
wie-
Swieten allegat, ratio est, quoniam
in observando morborum cursu non
semper a medicis illa adhibetur dili-
gentia, quam in monumentis veterum
invenimus. Quoniam, qui luculenta
in praxi versantes, optimam haberent
occasionem, in haec inquirendi, ae-
grorum numero saepe sic obruuntur,
ut, dum pluribus adsunt, ad singulos
minus attenti esse debeant. Quoniam
plurimi etiam, dum his, quae ipsi in
morbis observant, aliquoties non re-
spondere vident illa, quae veteres de
cisi, et diebus criticis tradiderunt,
postea haec omnia negligunt, et in his
saltet regionibus nullius usus esse cre-

A 3

dunt.

dunt b). Huc accedit, quod multi medicorum intempestivis venaesectiōnibus, aliisque evacuationibus natūram ita turbant, ac debilitant, ut crīses fieri nunquam possint c). Crīsum propterea tamen observatio supervacanea non est, quin potius utilissima, et maxime necessaria. Quare et ego, si quaedam, quae medicis tyronibus prodeſſe queant, circa crīles dixerim, me non operam perdidisse arbitror.

b) Comm. Tom. II. §. 587.

c) de Haen Praelect. in inst. path. Boēth. Tom. IV.

ulti
io-
tu-
cri-
um
va-
ma,
go,
bus
ero,
r.
DIS-
oerh.

DISSERTATIO
DE
PERTURBATIONE CRITICA
ET CRISI

SECTIO I.

De perturbatione critica.

Materies morbi postquam geminata cordis et arteriarum contractione detrita, benigniorque facta est, eo usque, ut minus impedita, nunc per vasa transfluere incipiat, varia nova, et saepe per quam gravia in corpore aegrotantis affurgunt symptomata, quorum complexus perturbationis criticae nomen obtinuit.

Symptomata haec, activa Gaubio dicta, a vigili excitantur natura, dum adversae huic

A 4 mate-

materiei, quae mitior quidem evenit, veruntamen necdum penitus subacta, nunc turbide per totum circulationis territorium divagatur, pollicitis se se viribus opponit, eamque e corpore prorsus exturbare connitur. Recte hinc audiunt certamina naturae, propriam salutem propugnantis a).

Distingui igitur debent a symptomatibus morbois: haec enim producuntur a morbo, morbiisque causis naturam adhuc deprimenti bus, adparent in stadio cruditatis, incerto tempore, et aegrum continuo magis lacefunt, ac debilitant: ista vero sunt molimina naturae, morbo jam praevalentis, prodeunt post coctionem, circa dies criticos, aegrumque mox relinquent, eum mox relevant b).

Talia vero symptomata in genere sunt jactatio corporis, lassitudo, dolor vel in parte, vel

a) Gaub. inst. path. §. 44.

b) Boerh. inst. path. §. 936.



ta-
ide
ur,
ore
au-
em

bus
bo,
nti-
em-
ac
rae,
tio-
re-

acti-
erte,
vel

vel per omnia membra diffusus, rigor, horror fugax, aestus brevi subsequens, sitis, anxietas, vigiliae, delirium, stupor subito et sine manifesta causa adpares, somnolentia, sopor etc. c)
Haec statim tempore dum conspectui se offerunt; quod crisi aliquam natura molitur, prae-nunciant.

Sed medico non satisfaciunt; per quas enim vias exitura sit materies critica, non determinant, quod tamen praenosse, plurimum ipsius interest. Propiora igitur, quae dilucidius ipsum instruant, requiruntur indicia, et haec obser-vatorum sedulitas collegit. Ita

Crisis per sudorem praemonstrat urinæ, et alvi suppressio, dum simul absunt signa haemorrhagiae, et vomitus, porro calor, ac rubor extimarum partium, delirium, dum increvit accessio, et calidus quidam vapor, qui ante non fuit d). Cutis tunc simul mollis est, ac purit.

A 5

Crisis

c) ibid. 937.

d) Holler. Comment. in coac. praenot. p. 219.



Crisin per urinam fore, significat gravitas
in hypochondrio, et ardor in extremo pudendi,
prae primis, ubi per totum morbi decur-
sum urina crassa, copiosa fluxit, aetas senilis ad-
est, et tempus hybernum etc.

Crisin per haemorrhagiam narium praefas-
giunt obtusior cervicis dolor, cum quodam ten-
sionis sensu e), caput, praesertim sinciput an-
gustum, gravitas temporum, tinnitus aurium,
pulsatio carotidum, faciei rubor, oculi rubri,
et splendentes, caligo, anguillulae, scintillae
ob oculos, praesertim vero juxta Galenum, la-
crymae involuntariae, pruritus narium, et re-
pentina quaedam spirandi difficultas, veluti
presso thorace f).

Criseos per fluxum haemorrhoidum prodro-
mi sunt lumborum dolor, sine causa veniens,
tractio, gravitas, tensio molesta, spasmatica
per

e) van Swieten comment. Tom. II. §. 549.

f) Galen. praeonot. cap. 13. Tom. VIII. et lib. 11.
method. med. cap. ultim. Tom. X.

per infimum dorsum ad os sacrum, cum aestu eorumdem, pruriginosi ardores in orificio intestini recti, moderata horripilatio extre-
rum etc. g)

Crisis permenses denotat molesta in cervice tensio h), dolor capitis, dolor et tensio per regionem hypogastricam, gravitas, tractio circa lumbos, ac pubem, in summis femoribus, et osse sacro, dum aestus simul in his partibus sentitur etc. i)

Crisis per vomitum praecedunt dolor capitis, vertigo, tenebricosum quidpiam p[er] oculis, anxietas, amaror oris, nausea, sputatio frequens, tremula agitatio labii inferioris, tumor regionis gastricae, retractio hypochondriorum etc.

Crisis

g) Klein interp. clin. p. 124.

h) Hipp. Prorrh[et]. lib. I. Tom. VIII.

i) Klein interp. clin. p. 182.

¶

Crisin per diarrhaem indicant ructus, flatus, strepitus ventris, et elevationes ^{k)}, horr^or, lassitudo, dolor lumborum ^{l)}, dolor in intestinis etc.

Symptomata modo dicta si notat medicus, si, quae hanc ante crisin edparent, discernere novit ab illis, quae alteram praenunciant; si præterea morbi simul genium, si aetatem, ac temperiem aegri respicit, per quae emunctoria materiei febrilis evacuatio secutura sit, ipsum certe non fugiet.

Sed primarium, e quo præfigiat haec, signum ipsi suppeditant diversi pulsus, qui intraperturbationem criticam occurunt. His explorandis Solano de Luque, et James Nihel præcipuum dederunt operam, et pulcherrima ex iis præfigia nobis reliquerunt ^{m)}, ut de insignibus,

^{k)} Hipp. coac. prænot. Tome VIII.

^{l)} ibid. p. 854.

^{m)} Lapis lydius Apollinis, et Jacob Nihel nov, observ. circa crisiūm prædictionem ex pulsu solanico. Trajecti ad Rhenum 1753.



bus, quae Galenus, et alii circa artem, e pulsibus criticis futura praedicendi, sibi compararunt, meritis nihil commemorem. Et profecto exacta horum pulsuum cognitio tam utilis, quam necessaria est, summamque medici attentionem postular, eam Cl. Strack, ipsem in arte sphygmica versatissimus, discipulis suis commendare haud satis potuit. Sed ad rem revertor.

Si morbum soluturus est sudor criticus, observatur antea pulsus undosus, s. talis, qui a parva pulsatione incipit, et ad magnam usque ascendit, id est, quando 2. 3. vel 4 pulsus illo ordine, quo se invicem sequuntur, supra se insurgent, sic, ut secundus primum, tertius secundum et quartus tertium altitudine excedat. Pulsus hic, qui etiam vocatur incidens, diu debet continuare, simulque mollis esse, plenus, explicatus, et fortis, *qui altitudinem et vehementiam habet n.*

Si

ⁿ⁾ Galen de praefigitione ex pulsibus. lib. xi. cap. 9.
Tom. VIII.



Si crisis fiet per urinam; pulsus percipitur myurus, priori oppositus, qui a magna pulsatione incipit, et ad parvam descendit. Ut cauda muris, continuo magis decrescens.

Quando crisis per haemorrhagiam narium continget; pulsus notatur dicrotus, scilicet bis se-riens, dum scilicet arteria in diastole bis ferit digitum tangentem, antequam se contrahat. Si pulsus hic trigesima quavis pulsatione resilit, haemorrhagia narium sequetur post quatriiduum; si recurrat pulsatione decima sexta, post tri-
dium; si octava, post biduum; si citius, intra nyctemeri spatium, si intra pulsationem quin-tam, ipsa proxime instat. Si pulsus dicrotus in uno carpo evidentius percipitur, quam in altero, sanguis e nare ejusdem lateris majori plerumque copia prorumpet. Si pulsus hic adeat in carpo dextro, non autem in sinistro, praedici tuto potest, sanguinem e nare dextra fluxurum esse, non autem e sinistro. Si pulsus hic caprizat, id est, si primus ejusdem ictus validior, secundus debilior est, veluti saltus caprae; haemorrhagia narium parva erit,
magna

15

magna vero, dum secundus ictus primum ro-
bore superat, moderata, si aequale utriusque
robur adpareret.

Si crisis secutura est per diarrhaeam; pulsus
tangitur intermittens, sed simul mollis et ple-
nus o). Prout talis intermissio pulsus tardior,
aut celerior; fluxus alvi continget eo tardior,
aut celerior. Si post 5, vel 7 pulsationes ha-
rum una intermitit; diarrhaea proxime infat;
si vero post 20 una, praedici potest, ipsam
post aliquot dies secuturam esse.

Ubi crisis eveniet per vomitum; praenun-
ciat eum pulsus parvus, frequens, in dilatione
tardus, intermittens, sed simul durus.

Nonnunquam crisis quoque fit per sputum,
tunc antea pulsus adest mollis, plenus, et un-
dulans p), quem Rega sic describit. in hoc
sanguis

o) J. Nihel nov. observ. etc.

p) Cf. Strack nova theoria pleuritidis etc. pag. 54.

sanguis pellitur, non propellitur, movetur, non promovetur, premitur, non transpeditur, agitatur quidem in arteriis majoribus, sed in, et per minimas non adagit q).

Sola pulsuum criticorum fretus notitia, Solano diversas potuit praedicere crises, et ejus praefigia semper eventus coronavit r). Quo tutionem medicus nunc poterit formare prognosin, si et hosce pulsus, et alia simul obseruat symptomata, singulam quamvis crisi praecedentia.

Haec ergo dum ipsi perspecta sunt; jam praescit, quod, et per quos exitus discessurafit materia morbifica; novit igitur, quibus auxiliis naturae laboranti, si opus est, succurrere debeat; praesertim vero, ne intempestivis eva-

cuantibus ipsam in salutari, quod intendit;

opere

q) Method. med. P. II. cap. 3. aphor. 465.

r) van Swieten comm. Tom. II. p. 60.

17

ope re perturbet, praemonetur. *Interdum enim optima medicina est, medicinam non facere s).*

Sed symptomata hactenus recensitā non omnia semper obveniunt: Dum materies morbi pauca, mitis, minus pertinax est, dum via, quam ip̄a pertransit, minus intercepta est, dum rectum promptius adhibetur praefidium, symptomata dicta suepe tam pauca sunt, tam lenia, ut vix observentur:

Nec eadem semper in eodem morbo se manifestant ⁱ⁾, diversa sunt, prout diversum est, in quod agunt stimuli morbos, principium vitale, prout diverso ejus gradu homo ab homine, pars a parte discrepat ⁱⁱ⁾.

Interdum plane nulla se exhibent, quando scilicet prostratis naturae viribus, neque coctio, neque

ⁱ⁾ Hipp. de articulis. Tom. II.

ⁱⁱ⁾ Gaub. inst. path. §. 101.

ⁱⁱ⁾ ibid. §. 180.

neque crisis fieri potest. Plurimum turbari praeterea possunt a variis, quae aegro accidunt, sive medici, sive adstantium, sive aegri ipsius culpa contigerint, sive talia sint, quae praevideri, vel vitari nequeunt v). Tantum de symptomatibus perturbationem criticam constituentibus, certe non imaginariam: Nunc ad crisiū ipsam transeo.

SECTIO II.

De Crisi.

Crisis fit, quando materies morbi cocta die quodam decretorio vel omnis, vel pro parte tantum e corpore expellitur. Crisis prior perfecta, et bona est, posterior imperfecta, quae anceps est, bona, vel mala.

Crisis

v) van Swieten comm. Tom. II. p. 57.



Crisis primario distinguitur in crifin febris, et in eam materiei, a morbo productae: crisis febris evenit post coctionem, crisis materiei intra convalescentiam ^{w)}.

Crisis febris fit per sudorem, et urinam, per haemorrhagiam narium, haemorrhoides, aut menses, per sputum, per vomitum, aut diarrhaeam. Quando materies morbi per transpirationem insensibilem aufugit, id resolutio, S. Lysis dicitur.

Crisis per sudorem, et urinam in morbis acutis frequentissima. Per haemorrhagiam namum haud infrequens. Per fluxum haemorrhoidum rarior est, et plerumque apud eos modo locum obtinet, qui vel ad hunc fluxum dispositi sunt, vel ejus oppressione laborant. Rarior quoque crisis per menses, sique fit, horum obstructio ut plurium praecessit. Rarissime vero sputum est criticum, et nonnisi in morbis pectoris quandoque notatur. Crisis denique

B 2 per

^{w)} Cl. Strack de febre intermit. et nova theoria pleurit.

per vomitum, et alvum; si contingit, ea potissimum in febris biliosis, ubi materies turget, animadvertisetur,

Si crisis per sudorem fit, is calidus est, viscidus, liberalis, et per totum corpus aequabiliter diffusus. Ubi non ita se habet, nullius frugis est x).

Si per urinam evenit, ea fluit copiosa, crassa, turbida, et sedimentum praecipitat album, laeve, et aequale y), vel lateri trito simile z). Hippocrates crises imperfectas, et metestases timuit, si urina hypoistica non adparuit a). Sed soli urinae fidendum non est, debent et reliqua simul signa considerari, saepe enim illa bona sunt, et urina mala, tamen aeger evadit: saepe cum urina bona, et reliquis signis malis morbus in perniciem tendit b).

Si

x) Hipp. coac. prae. Sect. III.

y) Hipp. aphor. 74. Sect. IV.

z) Cl. Strack de febre intermitt.

a) Hipp. Epid. lib. II.

b) Cl. Metternich de urina ut signis

Si crisis accedit per haemorrhagiam narium,
ea larga est, sanguis non stillatim fluit e naribus.
Ubi pauculum quid ex iis modo stillat,
peccatum est ominis *c*), nisi paulo post, vel al-
tera die larga haemorrhagia narium sequatur *d*).
Idem statuendum de fluxu haemorrhoidum, et
mensium.

Ubi crisis occurrit per sputum, id crassum
est, rotundum, album, cereae semiliquefactae
simile.

Ubi fit per vomitum, et diarrhaeam; fa-
barra ejicitur multa, mucosa, biliosa, qua eje-
cta morbus tollitur.

Hae crisiū febris notae sunt, quibus istae
crises, perfectae sint, nec ne, dijudicatur. Eae
vero ut perfectae sint, porro debent fieri die
impari *e*), debent non una vice fieri, sed suc-
cessive, per varia emunctoria. Sic plerumque

B 3 primo

c) Hipp. epid. lib. I. p. 66. et 70. perro Epid. Lib. III.
p. 275. et 291.

d) Epid. Lib. I. p. 109.

e) Cl. Strack de febre intermit. et plenaria.



primo prodit sudor, dein urina sequitur, vel eum urina, et sputum excipiunt. Vel primo adparet haemorrhagia narium, dein sudor, et urina subsequuntur. Vel initio erumpit vomitus, cui dein diarrhaea cum urina succedit. Raro morbus per urinam solam judicatur, et fere semper aliis evacuationibus juncta est. Solano nunquam crises observavit per urinas solas, absque aliqua saltem diarrhaea comite.

Crises perfectae potissimum incidunt in corpora pura, sana, et robusta. Favet iis praesertim ver, rarius autumnus.

Crises imperfectae, uti dixi, fiunt, quando materies morbi non tota, sed pro parte tantum ex corpore excernitur. His non habenda fides est, nam fere semper recidivam faciunt. Tales vero eveniunt, ubi in dies pares incidunt, ubi materies morbi minus benigna, minus mobilis est, aut ei exturbandae vires naturae haud sufficiunt. Contingere solent in febribus putridis, et malignis. Accidere amant iis, quibus antea valetudo erat imbecillior. Ut plurimum se exhibent tempore autumni, et qualibet anni tempestate, quae aeris ratione ad autumnum accedit.



cedit. Familiares iisdem praeципue sunt metastases.

Metastasis est, ubi materies morbi cocta locum suum deserit, et ad alias partes transponitur.

Metastases diversae sunt, prout in deles affectae partis, prout alia, atque alia nobilior est, prout ad vitam magis, minusve confert.

Si materies se conjecit in hepar, fit icterus, qui, si die septimo, vel post contingit, bonaë notae est, indicat enim, materiem huc migrasse coctam. Iceterus hic deinde per se fecedit, vel alia crisi sub sequente tollitur. Eum praenunciat pulsus hepaticus, qui in carpo dextro observatur, et tertium digitum acute ferit f). Eum quoque significat urina bile mixta, et cutis (licet non semper) aurigine tincta; hepar tunc neque tumet, neque durum est g).

f) J. Nihel nov. observ. etc.

g) Cl. Metternich de urina ut signa.



Si materies fecedit ad aures, sub alas, ad coxas, aliasve corporis partes, oriuntur parotides, bubones, furunculi, abscessus varii. Abscessum pone aures significat gravitas, et dolor capitis, somnus profundus, furditas, et respiratio difficultas, sine manifesta causa etc. Abscessum in partibus infra septum transversum positis exspectare licet, si nullum parotidis signum conspicitur, et aeger urinam tenuem, crudam diutius mingit, si gravitatem, dolorem, tensionem, aut calorem in hypochondriis persentit. Plura de metaftasibus dicere, nimis prolixum foret. Prae primis legi de his meretur P. Alpinus *h*). Eleganter de iis etiam scriptit el. Schlegel *i*), et alii, qui conferendi sunt.

Sed non semper cocta migrat aliorum materies morbi: saepe et cruda iter suscipit. Sic qua talis interdum se confert ad labia, et ibi per suppurationem coquitur, quod bonum est, si vero in partes interiores transponitur, ibi

dem,

b) de praefag. vita, et morte Lib. VI. cap. XII.
i) Diff. de metaftasi in morbis. Praef. Cl. Baldinger etc.
Jenae 1771.



dem, nisi beneficio naturae cocta, mox eliminatur, novum, saepe gravem, subito periculosem, aut diuturnum salsem morbum constituit. Sic ubi cruda se contulit ad hepar, ictus producit pessimae notae; quod vero cruda sit, cognoscitur, si icterus evenit ante diem septimum.

Porro in variolis si post suppurationem materies iterum reforbetur, et per urinam non excernitur, ipsa saepe pulmones occupat, ibique phthisin, abscessus pessimos, cum periculo suffocationis procreat. Si deponitur in cerebrum, aegri moriuntur apoplexia; si juxta articulos, ossa fiunt cariosa etc.

Contemplati jam sumus crises febris perfectas, et imperfectas: considerandae nunc veniunt crises materiei, quam febris reliquit,

Materies haec est crusta inflammatoria, scilicet serum sanguinis, quod febris aestus in crustam tenacem antea coegerit. Crusta haec in studio convalescentiae, intra quod vires corporis quotidie magis increscunt, et firmantur, actione



vasorum nunc atteritur, coquitur; cocta dein per vias conserentes, id est, per glandulas, per quas intra sanitatem mucus excerni solet, sub forma muci deponitur ad fauces, ad nares, ad intestina, siveque eliminatur,

Crises materiei proinde sunt per sputum, album, coctum, vel per coryzam, qua crassa, mucosa, cocta ejiciuntur, vel per alvum meracum, mucosam.

Vel tardius etiam crusta per abscessus, furunculos nempe, vel per bubones excernitur,

Sed de crises hisce plura dicere, super fedeo, cum hoc argumentum Cl. Strack pulcherrime jam pertractavit k). Nihil quoque dicam de illa, quae post crises materiei sequitur, functionum restitutione, quam gravis ipsius contemplatio, quam utilis, quam necessaria medico sit, cum idem doctissimus vir l), et

k) Nova theoria pleuritidis, et observ. de febre intermittentibus.

l) ibid.

et hoc anno D. Diemer, dignus tanti viri discipulus ^{m)} operae hujus mihi jam compendium fecere.

Restant adhuc dies critici, dies, qui summan medici attentionem reposcent. Et non abs re: nam praeter hoc, quod ipsi, ⁱⁿ num bona crisis, num mala futura sit, determinant, uti postea dicetur; eum pariter instruunt, quando medicamenta moventia dare conveniat, quando non. Et hoc nosse, hominum salutis plurimum interest. Haec vero medicamenta porrigi debent die pari, nunquam impati, quippe quo natura exitum moliri solet; hoc enim si porrigitur die, natura, dum huic operi intenta est, turbatur, quod omnino adversum est, et exitiosum saepe evenit; uti et veterum, et recentiorum hoc observationes edocent. Sic habet Hippocrates: *Quicunque a febre continua correpti, pharmaco usi sunt in diebus paribus, hincimum purgati nunquam sunt. Qui vero in diebus*

^{m)} Diff. de functione intra convalescentiam restituzione. Mog. 1786.

bus imparibus medicamento forei usi sunt, nimium purgati sunt. Multi etiam perierunt, nimium purgati. Proinde priores medici in hoc maxime peccarunt. Medicamenta exhibuerunt in diebus imparibus, et homines peregerunt, non scientes, quod haec res se ita haberet. Humor enim in corpore aegroti magis turbatur in imparibus diebus, nimurum corpore humorem ad ventriculum transmittente. Et si quis jam turbatum magis perturbat medicamento immisso; nihil miri est, ex talibus hominem perire ^{a)}. Et alibi refert. Scomphus in oeniadis pleuritide correptus, mortuus est septimo die. Pharmacum autem bibit infra purgans ^{b)}. Ut plura ex veterum monumentis exempla non proferam, id idem testatur recentiorum temporum historia. Ex innomeris casibus unum juvat adducere. Medicus Anglus acute decumbenti dedit purgans die impari, et aeger mortuus est. Medicum alii, quos conveverat, ob pharmaci dati lenitatem ab omni mortis imputatione liberum declararunt. D.

Rad-

^{a)} Hipp., de morbis popul., lib. IV. Sec. I.

^{b)} ibid. libr. V.

Radcliffe solus eum condemnavit, pronuncians, catharticum fuisse intempestivum, impeditam inde crisin, adeoque occisum aegrum p). Prudenter itaque monuit Hippocrates, dum ait: *Quae judicantur, et perfelle judicata sunt, neque movere, neque innovare oportet, neque medicamentis, neque aliis irritamentis, sed sincere q).* Quod monitum saluberrimum dum medici spernunt; inde tot malae medicationes, inde fit, ut, cum diebus, quibus bonae crises fieri solent, nempe imparibus evacuantia, sine delectu, emetica, purgantia praebentur, rariores, ac olim, crises hodieum obveniant r). Sed a digressione, forsan haud superflua revertor ad ipsos dies criticos, ut, quid de iis statuendum sit, pateat.

Magnam horum rationem veteres habuerunt, eosque potissimum diviserunt in pares, et impares.

Quando

p) J. Nihel nov. observ. etc.

q) Hipp. aphor. 20 Sect. I. Tom. IX.

r) van Swieten Comment. Tom. II. 8587.



Quando crisis contigit diebus paribus, praedixit Hippocrates crisi malam, sive imperfectam, et recidivam timuit: febrentem, si non in diebus imparibus febris dimiserit, recidivare solet ^{s)}. Si vero crisis incidit in diem imparem, perfectam nunciavit, et bonam. Dies impares tanti fecit couis senex, ut intra eosdem et plurimos morbos judicari, et ipsos magis ad commodium terminari contendenter ^{t)}, et experientia ipsius asserto subscriptit; licet cum Asclepiade complures hodieum doctrinae hippocraticae veritatem impugnant.

Cl. Strack, divi senis insitens vestigiis, per 40 annos indefesso studio crises observavit, semperque comperit, eas, ubi die impari evenierunt, fuisse bonas, et perfectas, pari vero die imperfectas, et malas, morbumque redisse, diutius traxisse, et saepe pejorem evasisse, subsequentibus intra convalescentiam multis furunculis, magnis abscessibus, et oedemate pedum.

Non

^{s)} Hipp. lib. aphor. Sect. IV. aphor. 61.

^{t)} Cl. Strack nova theoria pleuritidis etc.

Non raro tamen crisi malam, quae die pari antecessit, crisis bona, impari die subsequens, correxit.

Dicendi ut finem faciam: celeberrimus hic vir solida demonstratione arduam hanc de partibus, et imparibus diebus criticis disputacionem adeo vacuavit, ut non amplius dubio superstit locus: veritatem dogmatum hippocraticorum exemplis tam evidenteribus confirmavit, ut ipse laudem, et assensum eruditissimi, gravissimique censores publice contestarentur.

E R R A T A.

- p. 8. lin. 4. cer leg. per.
 - " " 5. pollicis leg. collectis.
 - " 9. -- 20. purit. leg. prurit.
 - " 14. -- 20. sinistro leg. sinistra.
-

ne hir schenkt mir nichts der heilige geist
anspreche ich nicht und pod zitio

aff am dachloch : mitten weni zu hause
zur zitio und meines ergebnisslichen seines
gutens hir schenkt mich nichts
durch vider worten : hir schenkt mich
nichts : und wenns ergeben ist : hir schenkt
mir nichts : auch dies mir nichts : und
wir schenken uns nichts ja : hir schenkt mir
nichts : und wir schenken uns nichts

S

I

D.

A

C

AD

I


PR

C

IN

D

ex



Mainz, Diss., 1786

ULB Halle
005 822 564

3



KOIP

TA → OL

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres
inches

Farbkarte #13

3.
DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA 1786 g.
DE
PERTURBATIONE
CRITICA ET CRISI,
QUAM
CONSENSU ORDINIS MEDICORUM
MOGUNTINORUM
PRAESIDE
VIRO PRAENOBILI, CLARISSIMO,
EXPERTISSIMOQUE
D. SAM. TH. SOEMMERRING
PRO OBTINENDIS
SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS
IN
ACADEMIA MOGUNTINA
Die Septembris 1786
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBJECIT
AUCTOR
CHRISTOPHORUS KÜLSHEIMER
MOGONUS

MOGUNTIAE,
Typogr. Elect. Aul. Acad. privil. apud Joann. Jof. Alef,
Hered. Haeffner.

